



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXIV. De temporibus leges faciendi, & non faciendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XXI.

Si corpus aliquod a sua parochia deferatur in aliam, solvatur tamen pecunia sepulturæ eius in eam cui iure pertinebit ecclesiam, & omnes rectitudines & sanctæ Dei ceremoniæ, sicut omnibus opus est, totis desideriis observentur. * In festiuitatibus, in ieiuniis.

XXII.

In feriatione diei dominicæ, ab hora nona sabbati ad vespere que diluculum secundæ feriæ, & in sanctorum omnium solennitatibus, sicut a sacerdote fuerint nuntiata, ipsa vero die dominica publica mercimonia, vel placitorum conuenticula, venationes, & huiusmodi sæcularium actiones exerceri modis omnibus prohibemus, nisi pro magna necessitate sit.

XXIII.

Omne indictum ieiunium deuote conseruetur, siue quatuor temporum, siue quadragesimale, vel deinceps aliud quodcumque sit: & ad omnes beatæ Mariæ festiuitates, & sanctorum apostolorum omnium, ieiunia votiuæ præueniant, præter Philippi & Iacobi pro solennitate paschali. Non sunt secundum legem indicta ieiunia a pascha vsque ad pentecosten, nec a natali Domini vsque ad octauas epiphaniæ, nisi qui per pœnitentiam vel sponte ieiunet.

XXIV.

Et non festis diebus iuramenta, & ferri, vel aquæ, vel huiusmodi legis examina fieri prohibemus, & quatuor temporum, & diebus quadragesimæ, & aliis legitimis ieiuniis, & ab aduentu Domini vsque in octauum diem post duodecimum diem a natali, & a septuagesima vsque ad quindecim dies post pascha: & sancti regis Edvardi gloriosum passionis diem per totam Angliam volumus celebrari x v. Kalendas Aprilis, & sancti Dunstani xiv. Kalendas Iunii, & sit in his sanctis obseruationibus, sicut vere iustum est, Christianis omnibus pax & concordia, & omnis ira tollatur, & si quis alteri debitor est de plegiatione, vel aliqua contingentium sæcularium emendatione, reddat ei sedulo prius aut postea: & in Dei dilectione petimus, vt quicumque Christianus suam ipsius benefaciendi necessitatem intelligat, quia singulos nos tempus expectat quo nobis esset carius, quam quidquid in orbe terrarum mun-

* Hæc
te peri-
ment ad
sequen-
capit.

duſ obtinuit, Dei noſtri voluntatem feciſſe, dum licuit. Tunc fane recipiemus vniforme ſtipendium ſecundum opera noſtra. Væ qui promeruerit ſempiterna ſupplicia.

XXV.

Renuntiemus ſedulo peccatis noſtris, & confeſſionibus & abſtinentiis expiemus, & quod nobis fieri volumus aliis faciamus. Hoc iudicium noſtrum eſt, & fane beatus & Deo gratus eſt qui iudicium hoc ſincere tenuerit ad gloriam omnipotentis Dei, cuius ſumus miſeratione conditi, precio magno redempti.

Quicumque Chriſtianus, ſicut vere neceſſarium eſt, dignam Chriſtianitati ſuæ curam impendat, & ad perceptionem communionis dominicæ ter ſaltem in anno ſe præparet, vt non hoc ad iudicium, ſed ad remedium ſalutare, manducet: & quiſquis amicus Dei eſt, verbis & operibus reſtitutionem flagitet, fidem & ſacramenta caute cuſtodiat.

Omnis iniuſtitia de finibus noſtris quantum poſſumus expellatur, & Dei iuſtitiam dictis & factis deinceps amplectamur: tunc eius miſericordiam propitiatus impetrabimus. Item faciamus ſicut adhuc perſuaderi volumus.

XXVI.

Simus dominis noſtris per omnia fideles & credibiles, & eorum gloriam totis viribus exaltemus, & velle faciamus: quia quidquid pro reſta dominorum fidelitate facimus, & magnam nobis vtilitatē facimus, & ſcienter Deus illi fidelis eſt, qui domino ſuo fidelis eſt: & vnicuique domino magnum opus eſt, vt hominem ſuum reſte deducat.

XXVII.

Omnes Chriſtianos ſedulo commonemus, vt puro corde ſemper Deum diligant, & catholicæ Chriſtianitatis fidei digne ſeruiant: ſanctis eccleſiæ doctoribus deuote pareant, Dei leges & doctrinam fideliter inueſtigent, ſemper & aſſidue ſibimet ad vtilitatem. Et omnis Chriſtianus addiſcat vt ſaltem ſanæ fidei reſtam intelligentiam habeat: & ſciat Pater noſter, & Credo in Deum, quia per illud Deum exoramus, per aliud reſtam fidem declaramus. Chriſtus ipſe primus hanc orationem protulit, & diſcipulos ſuos docuit; in qua ſeptem petitiones ſunt, & quiſquis eam intimo corde cantabit, cum ipſo agit de quacumque neceſ-